

Franciscus Neumayr
‘Anastasius Dicorus’

Tragoedia
(1734)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
Februar 2008

Argumentum

Nunquam impune illudi Coelo, Anastasius Imperator testis est, Dicorus appellatus a discoloribus oculorum pupillis, qualis et vita fuit, bona initio, deinceps pessima, nisi rectius pessimam semper dixerimus, cum videri bonus semper, esse nunquam voluerit, obstinatus hypocrita. imperio post Zenonem potitus, iuravit Euphemio Patriarchae et iuramentum syngrapha confirmavit, servaturum se et contra quoscunque tuiturum Synodi Chalcedonensis decreta; nihil praestitit minus. favit enim paulo post Manichaeis, Acephalis, Eutychianis, Haereticis omnibus; solos Catholicos persecutus est velut pacis Reipublicae, quod se Haereticis opponerent, inimicos. itaque Euphemium et Macedonium Patriarchas multavit exilio; Timotheum et Severum pessimos Haeresiarchas, illum Constantinopoli, hunc Antiochiae praefecit. inter aulicos, quisquis Catholicus fuit, suspectus de insidiis fuit. eminebant Iustinus ac Iustinianus; quos cum esse captivos iussisset, Vitalianus Ducum unus nepotem Caesaris Hypatium cepit et, populo in partes pertracto Regiam obsidens, coegit Imperatorem primum captivos reddere, deinde Catholicis, quae pro bono Religionis postulabant, promittere. ita reddita est, quam populi placandi causa deposuerat, corona, non item diuturna pax. nam continuo rediit ad ingenium simulator, nullis aut monitis aut minis correctus. urgebant promissorum fidem legati Hormisdæ Pontificis, eiecit et navi perforatae impositos redire in Italiam iussit; instabant Episcopi, maxime Oeniandus, vir omnis sanctitatis laude clarissimus, contempsit. viderat malorum incentorem Timotheum repentina morte ab ultore Deo punitum esse; neglexit. ipsimet vir gravis in somno apparuit, quatuordecim vitae annos ex libro, quem tenebat manibus, se illi propter impietatem delere professus; frustra omnia. Pharaoni se fecerat similem in vita, simili cum eodem et morte periit, hoc est, repentina, non aquis quidem, ut ille, haustus, sed fulmine de Coelo stratus, quo fracta est arbor, quae flecti non potuit. (Baronius)

Personae

Anastasius	obstinatus hypocrita
Timotheus	Patriarcha haereticus
Hypatius	Anastasio nepos
Iustinus	aulicus Catholicus fervens
Iustinianus	aulicus Catholicus bonus
Vitalianus	Dux Catholicus utrumque amans
Oeniandus	Episcopus sanctus
Amantius	Praefectus aulae, vir ad hominem
Marinus	Dux Militiae, homo de ambitu.
<Ephebi>	

<Constantinopolis>

<Roma>

<Chorus>

<Deus>

<Angelus>

<Babylon>

<Tres Prophetae>

<Pseudo-Propheta>

<Chorus>

<Ephebus>

<Nemesis>

<Pseudo-Prophetae in tortores mutati>

<Ioci in praeficas>

<Quatuor Elementa per turmas>

Prologus

Constantinopolis, Roma, Chorus, <Deus, Angelus>

*Plausum, quem Constantinopolis plaudit Anastasio, vicesimum septimum ab adito imperio anniversarium agenti, Deus mutat in Lessum.
Theatrum exhibet arcum triumphalem Anastasio erectum.*

Chorus

Ch. Io! io!
Constantinopolis,
Exulta, ride, plaude;
Fortuna Principis
Felicem facit, gaude!
Vivat! Princeps plurium
Per seriem annorum!
Vivat! haec est omnium
Vox una subditorum.

Roma Festiva quid sonant tympana?

Const. Vota, soror, iunge et cantica.
Est annus septimus supra vicesimum,
Quo Anastasius tenet imperium:
Diem celebros anniversarium.

Roma Vtinam dixisses, vitae tyranni ultimum!
Est annus septimus supra vicesimum,
Quo Anastasius affligit imperium!
Heu! quousque feremus iugum tristissimum!

Aria

O Deus gementium spes,
Quam lentus ad fulmina es!
Terge fletus!
Longos metus
Tandem a me abige!
Quousque et despici te
Et pateris opprimi me?
Tandem *surge!*
Fata urge
Et tyrannum *percute!*

Const. Eadem vota voveo, sed in silentio:
Ita imperat status ratio, ita servae conditio.

Aria

Lingua et animus duae sunt res:
Nisi has dextere
Scias distinguere
Et verba pro more
Formare in ore,
Perdita es.
Aulis haec posita pridem est lex:
Heliogabalos
Vt Theodosios
Debemus laudare,
Debemus clamare:
Vivat! triumphet! et imperet Rex!

Roma Apage turpem Noeniam!
Nunquam Roma didicit tam dissonam musicam.
Mihi consonant lingua et animus:
Vindictam, vindictam oro,
Vt ab obstinato Caesare de tot sceleribus
Tandem exposcat Dominus ...

Mutatur Theatrum. fit tonitru septies, et Anastasiis effigies fulminatur.

Eia intonuit! preces Deus audiit!
Procidamus! adoremus!

24. seniores coronas suas ponentes ad pedes Antiqui dierum.

Ch. Vindica, Domine!
Deus Vindicabo!
Tu signa, quae locuta sunt, septem tonitrua.

Angelus Apocalypticus cum uno pede in mari, altero in terra.

Ang. Audi et vide, Roma!
Iuro per viventem in saecula,
Quia tempus non erit amplius!
Hodie morietur Anastasius.
Hominum scelestissimo
Quatuordecim annos vitae, qui superessent, deleo.
Hodie morietur!

- Ch. Moriatur! moriatur!
 Laus sit Deo Vindici!
 Iubilamus! plausum damus,
 Plausum iusto Iudici!
- Const. Superi! quid vidi? et ubi sum?
 Roma Hem! ut Deus subito mutavit theatrum!
 Eia! hic age diem anniversarium!
- Const. Hodie moriturum Anastasium, quis credet?
 Roma Vtinam ipse crederet!
 Sed serum est votum.
 Decrevit Deus dare spectaculum
 Horridum oculis,
 Vtile animis,
 Vt haec gravissima veritas assidue
 Haereat memoriae:
Anni impiorum breviabuntur.

Mors equitans et post se infernum trahens.

Aria

*Qui habet aurem, audiat,
 Quid dicat Spiritus:
 Citato equo advolat
 Mors peccatoribus.
 Peccatum mortis stimulus,
 Peccatum calcar est,
 Quo equus hic admonitus
 Absolvit cursum citius;
 Et cum abesse longius
 Putatur, hinnit proximus
 Et ante fores est.*

Da Capo

Repente cadunt impii,
 Et filum rumpitur;
 Mors figit telum pectori,
 Infernus sequitur.

Pars prima

Anastasius Admonitus

Scena prima

Anastasius, Hypatius, Marinus

Aula cum throno. Anastasius ex somnio turbidus.

Anast. Hypati! adhuc trepido. tanta erat maiestas viri, tam grave tonitru denuntiantis propinquam necem, cum annos vitae quatuor supra decem deleret.

Marin. Horridum somnium! at somnium tandem, non oraculum. aut, si credis, Auguste, verum esse nuntiatum malum, quis tibi visus est auctor mali? eludere praesagium licet nocentis caede.

Anast. Iam cogitavi. sed, o Marine, etsi omnes occido, in quos cadere suspicio potest ausuros aliquid adversum me, nihil ago. ita tinniunt ambae aures, velut feralem susurrum ingeminaret aliquis: 'hodie moriendum est!' o chare Nepos! disce ex me, quam miseri etiam Principes sint, quamdiu coguntur Coelum suspicere, superbum illud Coelum, quod non minus palatia, quam tuguria fulminat. heu me! ergo non licet mihi, quod libet, facere, et est aliquid Imperatore Graecorum maius? mortis sententiam ausus est aliquis in Anastasium ferre? in Imperatorem? et ante tempus destinatum a fati? ergo quid me urbium munimenta, quid armatae classes, quid centum exercitus iuvant? miserum est mori posse, miserius mori debere, miserrimum ante tempus debere. crudele Coelum! unde imperium tam despoticum tibi?

Marin. Pavor confudit mentem, Auguste! parum cohaerentia loqueris. quid Coelum accusas? si odisset te, fulminasset incautum, non monuisset.

Anast. Monuit, ut diutius cruciet.

Hypat. Vive felix, Auguste Patruē! quid times somnia? anniversarium hunc tibi imperii diem, ut Superi iucundum velint, toto animo precor. admitte, quos paravimus ludos, et disparebunt spectra, quae tumultum in animo faciunt.

Anast. Ita, ita! ludum ludam hodie tragicum et cruentum!

Hypat. Ah! minas cessa! neminem possunt somnia scelestum facere. et quousque te vultu averso conspicio? an vota displicent an, qui vota Hypatius facit?

- Anast. Placet Hypatius, et vota placent, nisi fierent capiti hominibus in-
viso et Superis.
- Hypat. Hem! quo te proripis?
- Marin. Relinque, Princeps, dum evigilet plenius et phantasma dispareat.
- Hypat. Avertunt omen Superi! pupillus forem.
- Marin. Imo pupilla imperii es. te in oculis ferunt subditi; te amant omnes,
praeter eos, qui se Catholicos dicunt et Episcopo Romano iurarunt
fidem.
- Hypat. Ego non odi homines. quid illi in me oderunt?
- Marin. Sanguinem cognati Caesaris, quem, nisi me triste omen fallit, hodie
periment.
- Hypat. Inanis est metus. non hoc sunt animo, non illis moribus isti homi-
nes, ut facinus tam atrox liceat suspicari.
- Anast. Molesta solitudo! Nepos! fiant parati ludi, admitto; sed tibi, non
mihi fiant. ascendes solium, dum eo in tumulum ruo.
- Hypat. Ah! quid aures crucias tristi Noenia?
- Anast. Marine, iuvat in omnem eventum providere imperio. Patriarcham
adesse iube, aulam convoca, populum admone: coronam hodie in
Hypatium transferam. imperabis, Nepos, et vel ringente Coelo
Anastasius etiam occisus vivet in te!
- Marin. Vivite Principes, uterque felix! festino exequi imperata.

Abit.

Scena secunda

Anastasius, Hypatius

- Hypat. Vivis et vales, Caesar! nihil obsecro, de transferendo imperio co-
gita.
- Anast. Imo impera! et infelicem Anastasium onere curarum leva, ut hila-
rius moriar.
- Hypat. Ah! quousque de morte memoras? num occisum me tecum cupis?
- Anast. De me decretum est. invidet atrox Numen diuturnius imperium mi-
hi et longiorem disciplinam tibi. praecepta tamen imperandi com-
pendio dabo; cave, degener sis! nemo, quamdiu tu imperabis, mor-
tuum credat Anastasium esse.
- Hypat. Audio, quid imperes, quoniam ita placitum.
- Anast. Vides hoc solium, Nepos? per gradus ascenditur, quorum supremus
non nisi unum sedile capit, ut intelligas, uni tibi competere, ut sed-
eas; caeteris, quocumque gradu sint, standum est. est enim omnis
homo natus ad laborem, solus Princeps ad otium. itaque imperii de-
liciiis tu frui, molestias Ministri ferant. si quis obstrepat, calca.

iam quale conopoeum se explicet, vide. hoc tu pro Coelo habe; aliud, de quo Monachi garrunt, nullum spera. hic fulge! non sicut Sol, quem, quia beneficus est, nemo suspicit; sed sicut cometa, quem quisquis aspicit, pallet. optimus maiestatis satellites est timor. coronam auream crux ornat gemmea; splendet, non ardet. symbolum Religionis est, quae in te videri debet, esse non debet. in varias sectas subditi sunt divisi: nemo sciat, cuius sis tu; quisque credat te esse omnium. sceptrum porro potestatis est signum, qua polles. utere pro libidine, lex te non ligat. alius in Coelis, tu in terris es Deus. iste quam nihil respiciat coronatos vertices, in me exemplum habes. bene an male agas, perinde est: cum praecipitandi erit lubentia, praecipitabit. cogimur subesse! utinam non cogamur! saltem hanc non habeat gloriam ostentator, quod subsimus volentes. non mereatur a Rege pro Deo coli, qui inter Regem et rusticum discrimen non facit. vah! quid sibi deiecti oculi volunt, et quid os aversum?

Hypat. Exhorret animus ad haec praecepta! Auguste, nunquam sic auditus es loqui. obsecro, ne Deum, quem sentis maiorem te, irrites acerbius.

Anast. Nihil expecto acerbius morte, cuius sententia iam est lata ab eo, qui mutari non potest. nec ego me muto. tu, credo, supplicem me vis accidere, deprecari errata, flere? istud non decet Principem. etiam cum erraveris, tuenda constantia est, et error obruendus errore, non retractandus. prostituit Maiestatem Princeps mutabilis. ut vixi, moriar, Soli similis, qui semper est idem, etiam cum in occasu est. tu cape animos tanta fortuna dignos, in quantam ego te eveho; non ille, quem pueriliter trepidas, non ille Deus: ego te eveho! quid stupes silens? loquere, ut videam, qui sis!

Hypat. Attonuisti miserum diris vocibus! timeo Tonantis iram.

Anast. Audio degenerem vocem. pro! cur Oeniandum tibi Moderatorem dedi! alia te omnia Severus docuit; potuit Oeniandus uno mense profundum inscripta eradere principia, quae Principem decent?

Hypat. Alia Severus docuit, sed meliora Oeniandus, atque adeo vel unius mensis labore pinguorem meritis Episcopatum, quam quo impium Severum donasti.

Anast. Quid et cui loqueris, audacule? quid igitur te docuit Oeniandus?

Hypat. Initium sapientiae esse timorem Dei.

Anast. Grave axioma! puer, aliam mentem indue! aut in Monachum tondebo te, et pro corona cucullum feres.

Hypat. Si sic regnandum est, subesse malo.

Anast. Hem! novum malum! sceptrum contemnit puer! abscede, vappa! hunc ego in solio colloquem! tempori ades, Moderator praeclare! vah! quos tecum trahis?

Scena tertia

Accedunt Oeniandus, Iustinus, Iustinianus, Amantius, Milites

Oeni. Qui tuum omnes adorant imperium.

Anast. Occursus feralis! Hypati! aut Iustinum in somnis vidi aut Iustinianum. confusa est memoria: utrum nescio, alterutrum certe vidi; Iustinum tamen certius. aspice me! sic fulgurabant oculi, sic os horrebat, sic frons in minas ibat. teneo parricidam. huc ades, miles! Iustinum rape! huc, miles, cito!

Iust. Quid enim peccavi, Caesar?

Anast. Rape ocyus!

Iustin. Si quid Iustinus peccavit, Auguste, conscius peccati certe et Iustinianus fuit. amici sumus; amicum liceat in carcerem sequi.

Anast. Dignus est carcere, qui prae Principe amicum amat. sed bonus sum: liberam custodiam dabo. reus est mortis, qui aula extulerit pedem, donec discussa sit causa.

Vterque Reus sit!

Anast. Amanti! designa locum et vigiles pone.

Amant. Imperium facio.

Anast. At te, Oeniande, quae causa ad me adduxit!

Oeni. Diem anniversarium gratulatum accessimus.

Anast. Quem vos nefastum facitis.

Oeni. Nescio, de quibus loquaris, Caesar.

Anast. De vobis loquor, quotquot adoratis Romanum Pontificem. a vobis est malum omne, inquires, turbae, tricae, pugnae! vah! ut male pensatis labores meos! cum volo, ut de Religione sentire cuique, quod libet, liceat, quid aliud quam pacem volo; cui istae de incertis articulis lites, quantum sint inimicae, quis non experitur? silere iussi dissidentes: silent omnes praeter vos; et si in contumaces animadversurus Imperator videtur, vide, quo sit processum, iam de vita periclitor. Oeniande, paci fave! Episcopus pauper es; augebo reditus et alterum Episcopatum adiiciam.

Oeni. Nihil paupertas me angit, Princeps: Episcopus oves, non lanam quaerit; et si habet, unde alatur et quo se tegat, debet contentus esse: sic Apostolus iubet. gravius malum est, quod, si libet, ex his literis tibi communico et merito acerbissime sentio, si est verum.

Anast. Narra vero: non terres assuetum turbis.

Oeni. Rem lego auditu horridam. Michaellem Archangelum nuper mortuum esse. si ita est, quis erit posthac defensor Ecclesiae?

Anast. Episcope, ludis an ineptis? aut num non videtur ridiculum tibi, Angelum mori posse?

- Oeni. Auguste, si ego ludere, si ineptire videor, cum narro, Angelum esse mortuum, quid de te sentire nos vis, cum ex doctrina Eutyichis cre-dis et defendis esse mortuum Deum.
- Anast. Sophista! Christum esse mortuum Eutyches docuit, non Deum.
- Oeni. Atqui naturam humanam Christi a divina absorptam, in divinam conversam esse Eutyches docet. si igitur Christus est mortuus, haud dubie secundum illam naturam est mortuus, quam habuit? et cum aliam praeter divinam, ex mente Eutyichis nullam habuerit, an non secundum divinam est mortuus? quod quid est aliud, quam credere mortuum Deum. ergo non immerito Chalcedonensis Syno-dus Haeresiarcham damnavit! et potest huic blasphemiae Imperator favere? et sperare potuit fore, ut sibi Oeniandus assentiatur?
- Anast. Ego, Oeniande, imperare didici, disputare non didici; neque tuum est, litigare mecum, sed obedire. iam hoc impero, ut Papae legatos adiens tua auctoritate permoveas, ut Thimotheo Patriarchae com-municent et de Synodo Chalcedonensi posthac sileant. deinde volo, ut conscensa cathedra palam doceas populum, non esse damnandos eos, qui trisagio, sanctus, sanctus, sanctus, haec verba addunt: 'qui pro nobis mortuus est.' demum ut Episcopis et Monachis omnibus exemplo obedientiae praeceas et omissis altercationibus quemque libere sentire sinas, quod malit. ecce, in hunc finem ex Asia vocavi te, in hunc regendis moribus Nepotis praefeci.
- Oeni. Auguste, quam sentire stricte ad regulas fidei, tam libere loqui ego didici, adulari non didici. tandem ponis larvam et aperte Eutychia-num fateris te, qui cum iuramento et data syngrapha olim damnasti Eutychen et Chalcedonensis Synodi decreta defensurum pollicitus es? mortalem te esse, num iam oblitus es, Domine? quid si hodie comparendum sit coram Iudice Deo?
- Anast. Sile, bubo, fendale carmen!
- Oeni. Imo per illam reverentiam, quam debemus uterque communi Iudici, obtestor te, sustine paulisper salutaria loquentem tibi, quoniam haec prima et forsitan postrema occasio est. nam toto, quo adsum mense, non sum auditus. hodie, ut ego loquar, te, ut audias, Deus monet; si hodie, inquam, comparendum sit coram Iudice Deo, sci-licet accedes hac fulgens purpura, his gemmis nitens, stipatus mul-to satellite, corona procerum nobilis! minime gentium! nullus ad il-lud tribunal Imperator, sed nudus, solus, tremens Anastasius stabit. haec parerga, quae osculamur, mors volutabit in pulvere.
- Anast. Nondum finiisti?
- Oeni. Audi, quaeso, Princeps, quod raro audis et meminisse quotidie de-bes. loqui timerem, nisi te plus quam me amarem. septem supra vi-ginti annos Constantinopolitanum solium tenes: quo Ecclesiae, quo Reipublicae fructu? statuam hic collocasses, quid profuisset minus? at nihil nocuisset saltem. tu vero quatuor Pontificum sollicitudinem fatigasti; duos Patriarchas Catholicos, plures Episcopos ex suis Ec-clesiis eiecisti, substitutis Haereticis. iuratam Synodo fidem vio-

lasti, plura millia subditorum in haeresi confirmasti; multa exemplo, promissis, minis induxisti. cum libertate credendi, quod libet, dedisti licentiam vivendi, ut libet; inde contemptus Praesulum, Monachorum vilipensio, Cleri nulla reverentia, Nobilium summa petulantia, populi ingens impudentia, ubique inundatio scelerum, quia sceleratus Imperator. vide, quid tibi tua hypocrisis prosit, qua subinde te tegis. palam nota sunt omnia et toto vulgata imperio. nulla enim tegitur impietas diu: vident fumum, qui ignem non vident.

Anast. Heus, tu! nondum obstupescis patientiam meam?

Oeni. Admiror, laudo. sed ut utilior sit, adhuc modicam dona viro pro tua fama, pro anima, pro salute unice anxio. ecce, tu disputare te non didicisse, aiebas, didicisse regnare. si disputare non didicisti, cur inter disputantes te arbitrum facis? imo cur disputatis et Synodo definitis non acquiescis? et si regnare didicisti, quid igitur est esse Imperatorem? nomen, vestis, pompa Imperatorem non faciunt; imperatoriae virtutes faciunt. hoc solium respice! per gradus ascenditur: tu in supremo sedes, ut a subiectis omnibus videaris et omnes videas; a nemine erubescas videri, neminem videre contemnas. haec prima dos Regum, ut regulam morum se subditis faciant. deinde conopoeum hoc protectionis te admonet, quam subditis contra miserias debes. tradita tibi a Deo et hominibus Respublica est, sed nempe tradita in sinum, ut foveatur. coronam crux ornat in summo apice posita, ut intelligas, quod cura prima esse debeat puritas Religionis et splendor. praecipuum decus perit, si crucem aufers. sceptrum datur rotundum et breve, signum potestatis constrictae et moderatae. malus est Princeps, qui in imperio non nisi imperium cogitat superbus et deses; quique se non subditis datum credit, ut regat, sed subditos sibi, ut emungat. hominibus praees, hominum causa, nec Dominus solum, sed Tutor. optimum crede, qui duas res diversissimas, potentiam et modestiam miscet, quem prodeuntem subditi velut beneficium Numen aspiciunt, dubitantes, Dominum salutent an Patrem. dedi speculum, Princeps: inspice et erubescere, imo, ut salubrius loquar, contremisce. nam potentes potenter tormenta patientur, et illi prae aliis utique, qui Numinis patientia diutius abusi cum Pharaone animum obstinaverunt in malo.

Anast. Et haec nempe axiomata Nepoti tradidisti?

Oeni. Tradidi. num mala videntur?

Anast. Speculationes! tu si esses Imperator, an ex his regulis regeres?

Oeni. Certe, si bonus essem.

Anast. Equidem fatebor, Pater, hodie in metu me posuit Deus; vereor, ne quid ingruat mali. si quid credendum est somniis, hodie moriar. estne obtinendi inducias spes?

Oeni. Per celerem poenitentiam.

Anast. Ah! curae et timores de poenitentia cogitare non sinunt.

Abit.

Scena quarta

Hypatius, Oeniandus, Amantius, Vitalianus

- Oeni. Hem! quid Deus vel per somnium possit! agitatus affectibus animus fluctuat vehementer! utinam eiiciatur in littus insulae fortunatae!
- Hypat. Quid effectum est, Moderator, sermone tam longo?
- Oeni. Multa opinor, favente Deo. momordit hamum piscis, vulnus sentit.
- Hypat. Sed impatienter. vereor, ne rumpat funem et ex vulnere pereat. nam quantas paulo ante locutus est blasphemias mihi!
- Oeni. De quo somnio queritur?
- Hypat. Virum vidit, qui annos illi quatuordecim, quos supervixisset, propter impietatem delevit. hoc turbat mentem suspicionibus, terrore, ira, desperatione, tristitia.
- Oeni. Heu me! nunc intelligo, cur adeo ad conspectum Iustini horruerit! quid si misero luenda morte suspicio foret? virum ex asse Catholicum iuva, Princeps, et periculo exime!
- Hypat. At Amantius redit. quid aiunt captivi?
- Amant. Nihil sibi conscii, nihil metuunt.
- Hypat. At ego metuo. si me amas, amice, exploras penitus Augustum Patrum et suppeditas consilium nobis, quo iuvenus viros optimos et de imperio bene meritos, bene merituos. et tu, quo properas, Vitaliane?
- Vital. Scilicet ut adorem te, Princeps, et imperaturo homagium praestem.
- Omn. Commune omnium votum est.
- Hypat. Votum intempestivum. ego capiti patiar coronam imponi ea die, qua Iustinus et Iustinianus periclitantur de capite!
- Vital. Fulminor! iam ab Episcopis ergo in proceres se vertit tyranni furor?
- Oeni. Patientius, Vitaliane! nondum damnati sunt.
- Vital. Anastasio periclitari et damnari sunt idem. ah! Princeps! impera cito! nam quousque feremus durissimum iugum!
- Hypat. Moderare vota. venite mecum: quid agendum sit nobis, conferte consilia.
- Oeni. Terror, qui Caesarem habet, spem omnem bonam probabilem reddit.
- Amant. Consultate, tanquam ageretis de vestro capite: nam quod non nutat ad Anastasii nutum?
- Vital. Possessor cordis es. fideliter refer, in quem excoquat bilem.
- Amant. Fideliter, scilicet in rem meam.

Scena quinta

Anastasius, Amantius

- Anast. Non sum quietus. quocunque vertor, mors se obiicit oculis; et auribus redit tremenda vox: 'quatuordecim annos deleo.'
- Amant. Quietus iam esse licet, Auguste! parricidas tenes, quos somnianti Coelum prodidit. quid ultra metuis?
- Anast. Teneo?
- Amant. Puto.
- Anast. An omnes?
- Amant. Puto.
- Anast. Nomina mihi.
- Amant. Iustinum nomino et Iustinianum. eos animat Vitalianus, et ... quartum ut sileam, sine.
- Anast. Tu es, nisi nominas.
- Amant. Tuus Hypatius est. et quidni quintum dicam Oeniandum?
- Anast. Atrox indicium! probare potes?
- Amant. Si auscultasses, Princeps, sermonibus, quos ego audivi, non ambigeres.
- Anast. Quid audisti?
- Amant. Quod cum Iustino est actum, reprehenderunt omnes; de liberando cogitant. Vitalianus aperte ausus est vocem seditiosam tollere: 'quousque feremus durissimum iugum!' et Nepos acceptavit hilaris vota, ut Imperatori iam facta.
- Anast. Hoc puer?
- Amant. Animatus a viris et spe propinqua promissae coronae inflatus. et quis te, obsecro, Auguste, in hoc consilium malus genius egit, ut transferre coronam vivens in aliud caput velles?
- Anast. Malum somnium egit. consulere sanguini volui, ne me sublato sine liberis in humeros alienos iniiceretur purpura. nunc ero saltem in Nepote superstes.
- Amant. In ingrato, degenerare, parricida! magnum solatium! hoc momento opprimere omnes sine tumultu potes: apud Hypatium consilium habent.
- Anast. Aliud placet. Vitalianum ad me voca, tum Iustinum et Iustinianum ad ipsum, velut ad me adduceres, perduc: arbitror colloquium, ex quo forte convinci secure poterunt.
- Amant. Quanquam en, ipse. te, Caesar, postulat.

Scena sexta

Anastasius, Vitalianus, Amantius

Vital. Ego tibi volebam verbum.

Anast. Tu iussa perage.

Vital. Impera, Princeps!

Anast. Vitaliane, res magna agitur. in tua fide posita est mea salus. spon-des operam?

Vital. Etiam sanguinem.

Anast. Confido tibi. Iustinus et Iustinianus suspecti sunt mihi de flagitio infando.

Vital. Audivi cum gemitu.

Anast. Scio, amicos amas. neque id improbo; quin ut amicitiam erga ho-mines nunc maxime probes, volo, iubeo. opto, ut possim suspici-one absolvere. tu potes, ut possim.

Vital. Heu, perditum est. in causa tam delicata reus est, quisquis suspectus est.

Anast. Non ita. age, quod iubeo. non est modus evidentior, quo innocentes se probent, si vacant culpa.

Vital. Iube, Caesar! quanquam, obsecro, unde vel suspicio criminis tam atrocis potuit in homines tam probos cadere et tam fideles?

Anast. Suspecti sunt. huc eos adducet Amantius; tu, cum venerint, te mihi iratum finge ipsorum causa. quaerentur ipsi de iniuria: querelas ex-aggera, ultimum describe periculum, remedium ostende, parrici-dium suade. si assensi fuerint, rei sunt; si restiterint, innocentes pu-tabo. age serio et ardentem. ego post siparium stabo et vel nutuum observans ero. si timide ages, si dissimulare amicum nescies, reos ambos et reum te ipsum credam, quippe qui nescire me velis, an rei sint illi.

Vital. Ego amicos prodam?

Anast. Nisi Caesarem malis.

Amant. Approperant.

Anast. Vide, quid agas.

Occulte arbitratur.

Amant. In Vitalianum incidimus.

Vital. Vah! quid loquar!

Scena septima

Vitalianus, Iustinus, Iustinianus

- Iustin. Quae - malum! - Fortuna te huc adduxit, amice, ut in periculum te nostrum mitteres? ocyus de fuga prospice, nisi perire velis.
- Iust. Qui sit, in nobis, credo, manifestum se tyrannus dabit, cui, non video, quo alio nomine rei simus, nisi quia Catholici.
- Vital. Vultis, ut in libertatem vos asseram?
- Iust. Potes sine periculo tuo?
- Vital. Amicitia non timet periculum. audebo facinus gloriosum et dignum annalibus. hic gladius vos a morte, Rempublicam a tyrannide, Ecclesiam ab haeresi liberam faciet. macti animis condicite, amici, hodie ad inferos tyrannus ibit.
- Iust. Exhorrent aures atrox facinus et periculo plenum.
- Vital. Nobile voca et periculo cassum. tueri innocentiam natura concedit, necessitas suadet; quid ambigui estis?
- Iustin. Quis erit modus?
- Vital. Facilis, certus. populus ad ludos coit: ibo, narrabo, quo in articulo vos crudelitas teneat, iubebo arma corripere et obsidere palatium. ibi ego advigilabo; vobis cohortem, cui praesum, intro mittam. excipite, tyrannum invadite, mactate obstantes, ipsum vel vivum vel mortuum ad nos eiicite, ut spectaculo exhilaratior populus libentius acclamet glorioso facinori.
- Iust. Vivum trademus saltem, ut tonsus in Monachum tempus habeat poenitentiae dandum.
- Iustin. Assentior pietati. parcamus animae, ne simus crudeles nimis. sed tu matura opus, ne praeveniat iustitiam scelus.
- Vital. Heu me! audivi, audivi atrocem sententiam! vah! hoc animo facinus sedet? tantum flagitium placere potest? scelesti! impii! amicos ab dico. prodi, Auguste, prodi. reum Maiestatis utrumque tenes: licitori trade!
- Iust., Iustin. Perfide! sic tu amicos!

Scena octava

Anastasius, Vitalianus, Amantius, Milites

Anast. In vincula, miles, utrumque rape, in tetrum carcerem! hac hora luetis scelus morte, qua sentiatis vos mori. at tibi, Vitaliane, me debeo: probasti fidem. tuus sum.

Vital. Ah! Auguste! egone de Iustino et Iustiniano vel suspicari potuissem tantum nefas? pudet fuisse amicum. transfode cor, Auguste, quod amare hostes potuit tuos!

Anast. Vive mihi!

Vital. Saltem hoc impera, ut ego obeam carnificis munus et scelus plectat haec ipsa manus, quae toties porrecta est reis.

Anast. Aliud volo. populum, quid actum sit, doce et, ne tumultus se moveat, cum rapiuntur ad poenam, cave. nam statui, palam plectere, ut noscat vulgus, quos habeat duces.

Vital. Imperium facio ... imo non facio. quis barbarus tyrannus amicos coegit esse perfidos! at non fui! probabo fidem. cum vulpe vulpinandum est: vivetis, amici, vivetis! quos trusi in carcerem, in solium eveham. quis sit Vitalianus, nemo novit, praeter me, et hoc est satis.

Chorus I. Imago Animae obstinatae

In verba meretricis Babyloniae: *sedeo Regina et vidua non sum
et luctum non videbo* (Apoc. 18).

Babylon, Tres Prophetae, Pseudo-Propheta, Chorus, <Ephebus>

Aula meretricis Babyloniae. Augures ex globo Coelesti.

Babyl. *Sedeo Regina et vidua non sum et luctum non videbo.*
Puer, porrige poculum! bibamus, proceres! vivamus hilares!

Chorus

Ch. Vivat Regina! hoc omnes optamus:
Vivat! hoc uno clamore clamamus!

Ps.-Pr. Sydera, noxios Condite radios!	Ch. Vivat!
Ps.-Pr. Saturni aut Martis ne fulgeat lux.	Ch. Vivat!
Ps.-Pr. Intempestivos, Sol, frange calores! Luna, nocivos ne plue humores!	Ch. Vivat!
Ps.-Pr. Bone tu Mercuri, Iunge te Veneri!	Ch. Vivat!
Ps.-Pr. Micate, qua nobis est Iupiter Dux!	Ch. Vivat!

Pr. I. Non, non vivet Babylon.
Descende, sede in pulvere, Virgo filia Babylon.
Sede in terra!
Non est solium filiae Chaldaeorum,
Quia ultra non vocaberis mollis et tenera!
Audi Isaiam: haec dicit Dominus:
Dispone domui tuae, quia morieris tu et non vives.
Audi haec delicata:
Veniet super te repente miseria, quam nescies.

Pr. II. Heu! heu! heu! haec est lamentatio Ieremiae Prophetae.
Fugite de medio Babylonis,
Et salvet unusquisque animam suam!
Nolite tacere super iniquitatem eius,
Quoniam tempus ultionis eius a Domino
Vicissitudinem ipse retribuet ei!
Calix aureus Babylon in manu Domini
Inebrians omnem terram:

*De vino eius biberunt omnes gentes
Et ideo commotae sunt;
Subito cecidit Babylon et contrita est!
Vlulate super eam!*

Pr. III. *Haec est Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illis Deus,
Palam facere servis suis, quae oportet fieri cito.
Vae! vae! civitas illa magna Babylon!
Civitas illa fortis!
Quoniam una hora venit iudicium tuum!
Sustulit tuus Angelus fortis lapidem, quasi molarem magnum,
Et misit in mare, dicens:
'Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna
Et ultra iam non invenietur.'*

Babyl. Heu! quis terror me concutit?

Patitur deliquium.

Proceres, sustinete labantem!
Cogitationes meae conturbant me!
Compages renum solvitur, ita, ut genua collidantur.

Ps.-Pr. Regina, nihil metue, quod hi canes baubantur.

Aria

- I. Quid tibi cum Hebraeis?
Non novi Isaiam,
Non vidi Ieremiam;
Apocalypsis Graecum est:
Quid velit vox, incertum est.
Tu crede te Chaldaeis;
Quid tibi cum Hebraeis?
- II. In astris ego legi
Longaevam sanitatem
Et omnem faustitatem,
Quam tibi favens aureis
Descripsit Deus lineis.
Hi fraudum sunt strategi,
In astris ego legi.

Babyl. Ah! habeo me pessime.

Ps.-Pr. Cito, cito poculum reddite!

Pr. III. Frustra sunt omnia.

TresPr. Finis venit, venit finis,
Iam nunc finis super te!
Intra horam eris cinis;
Quid agendum, provide.

Ps.-Pr. Non, non, non, non erit finis:
Nihil mali metue!
Non caremus medicinis:
Bibe! vives optime.

- Babyl. Respiro. redit sensus et vigor!
 Ps.-Pr. Gaudeo! sed ut valetudo sit firmior, suadeo,
 Vt ex istorum sanguine conficiatur potio;
 Quam si biberis, crede mihi, ebria deliciis,
 In Paradiso esse te tibi imaginaberis.
 Babyl. Certe causa mali fuistis. luetis.
 Abripite! occidite!
 Pr. III. Sit sanguis noster super te!
 Sit super te! sic valebis optime!
 Ps.-Pr. Pellendae propter futura tristitiae
 Non est medicina efficacior, quam Prophetas occidere.
 Probatum est.
 Babyl. Occidantur, qui malum Babylo ni minantur!

Aria

Iubilemus! sonent tubae!
 Adhuc Coelum est innube!
 Nondum micant fulgura!
 Nihil credo plus Prophetis,
 Quam credendum est Poëtis:
 Ambo amant somnia.

*Chorus repetit.**Afferunt capita occisorum.*

- Epheb. Vive, Regina!
 Ecce, tristia obmutuerunt oracula!
 Babyl. Vah! qui exitium mihi cecinistis
 Et malum ipsi vestrum non praevidistis,
 Nunc canite! nunc volo credere!
 Ps.-Pr. Silent. ego potum propino, Domina,
 Quocum bibas longa malorum oblivia!
 Babyl. Sapit. totum ebibo.
 Ps.-Pr. Proficiat.

Inebriatur meretrix et putat ex aula in hortum seduci.

Aria

Babyl. Est nobilis potus et fortis! ...
Delicium pavidi cordis! ...
Sentio Dominum,
Gyrat se cerebrum:
Evohe, Evohe abripis me!
Hei! qualis se aperit scena!
Quam pulchra, iucunda, amoena!
Video, audio,
Quid? ... nescio.
Non, capio me.

Ps.-Pr. St! indormiit. eamus! personam mutamus!
Misera! decipi voluisti:
Decepta es, periisti.

Ariose

Qui credit facile,
Quod cupit credere,
In arena labili,
Non in petra stabili
Suas male fundat spes.
Quoties expertus es?

Pars secunda

Anastasius obstinatus

Scena prima

Marinus, Amantius

- Marin. Amoena narras. in turbido piscari licet. quem Iustino substitues? fratrem commendo, amice, quem si promoveris, obstrictum novo vinculo Marinum tenes.
- Amant. Nisi Vitalianus obsistat, promitto operam. erat et ipse proximus casui: retraxit pedem callidus et in praecipitium Iustinum impulit, ne simul rueret.
- Marin. Amicum impulit?
- Amant. Cum perfidia. talionem ferat. ita purgabimus aulam probro, quod hi thrasones intulerunt, Iustinus ex hara, Vitalianus ex stabulo. quanto iam fastu turgent bufones foetidi!
- Marin. Ita solent, quotquot ex centonibus ad purpuram fortuna surrigit. nimirum angustae mentes nec tuguriis maiores suis, magnatum sorti non patent satis. sed quis est modus sternendi virum militarem et vigilem sibi?
- Amant. Utendum tempore. terroribus nunc plenus Princeps, credit omnia. augebo metum, si de morbo Patriarchae, quem dixisti, narrabo. nec enim caret omine infausto malum, quod accidit homini, quo die debebat coronare Hypatium. tu interim Vitalianum observa: obnoxius multis affectibus est, quos occultare per artes aulicas in castris non didicit; reperies facile, quod possit in crimen trahi.
- Marin. Ero sedulus. sed quid? non posset praeterea Hypatius sterni? si hoc perficimus, proximus tibi ad solium est gradus, et superest nemo, qui obstet. vide, num negligendum tibi consilium sit.
- Amant. Cogitavi. tu coepta perface; de Hypatio curam mihi relinque: prope est a ruina.
- Marin. Devotus sum penitus. sed memento mei, cum veneris in regnum tuum.

Scena secunda

Amantius, Anastasius, Oeniandus, Hypatius, Ephebi

- Amant. Vox est latronis. memor ero, quantum proderit mihi.
- Anast. Purgastis culpam: absolvo vos. at posthac ne quid cum parricidis vobis negotii sit, minus familiaritatis, severe prohibeo. quid affers, Amanti?
- Amant. Triste nuntium Marinus tulit. Timotheus poene decumbit ad mortem; obsequi non potest imperio, quod de Hypatio coronando tulisti.
- Anast. Novum fulmen est. sanum heri et vegetum vidi. quod subitum malum oppressit?
- Amant. Apoplexia hac nocte tactum aiebat iamque vix non animam agere; certo intra horam funus fore.
- Anast. Miseret me hominis. at tu, Pater, non properas morienti assistere?
- Oeni. Haeretico? experiar tamen, quid spei praeferat. et tu, Auguste, qui pro altero angeris, quando provides tibi? aut cui non potest accidere, quod huic accidit?
- Anast. Festina. ego intus nihil metuo: exteri hostes terrent. Amanti, captivis extremam horam denuntia et continuo deductos in forum capite plecti iube. sententiam habes pro crimine lenem nimis.
- Hypat. Heu! quo procedis? nam sic amicos amas?
- Amant. Necessesse est obedire.
- Anast. Et me securum esse.
- Hypat. Ah! nimis properas in viris tantis et nec auditis!
- Anast. Convictos non est opus audire. et tu quid pro illis intercedis, qui adversus Patrum surgunt? credis parcituros Nepoti? bona verba te fallunt et affectata comitas. ignosco nondum experto aularum mores.
- Hypat. Nec nosse velim. piget videre saepius, quae vidi, aut experiri, quod tibi evenit.
- Anast. Experieris, cum imperabis.
- Hypat. Hoc dico: imperare non libet. in alium, obsecro, beneficium transfer, quod mihi est grave.
- Anast. Iterum recalcitras, puer? unus superes nostrae stirpis surculus; in te arescat?
- Hypat. Arescet denique. serius an citius, quid refert? stirps una deficiet, plures surgent.
- Anast. Rursum audio Oeniandum loqui.

Scena tertia

Accedit Marinus

- Amant. Infelix dies! ergo nihil hodie, nisi malum, nuntiem?
 Anast. Vah! iterum tristem video?
 Amant. Apertus et vacuus carcer est, custodes nulli. corruptos credo, cum reis fugisse.
 Anast. Quid hoc, Amanti? tene colludere cum hostibus credam?
 Amant. Id Superi, Auguste, nolint. da brevem moram: patescet veritas.
 Anast. Nempe in meum interitum.
 Marin. Heu! eripe te furori, Princeps! tota civitas in armis est. periimus, nisi patet aliqua in fugam rima. vidi irruere tumultuantium globos, iamque circumdant Regiam: Vitalianus est Dux.
 Anast. Scilicet hunc designavit somnium! vah, ut erravi male! Vitalianus est Dux! ergo fidem fefellit latro?
 Amant. Monueram. utinam dedisses fidem!
 Anast. Eccur Oeniandum dimisi? ille pectus obiiceret perduellibus! vos quid facitis? consilium date.
 Amant. Quid nisi latebras possum suadere, donec primus impetus detumeat?
 Anast. Obiicite militem!
 Marin. Claudimur.
 Anast. Vestrum aliquis populari eloquentia compescat plebem.
 Amant. Aulicus sum.
 Marin. Ego miles.
 Vterque Neuter rhetor.
 Anast. Te verebuntur, Hypati, et innocentem facundiam audient.
 Hypat. Surdus est furor.
 Anast. Ah! quis Oeniandum saltem? deserite, ignavi, vestrum Principem! hoc in vobis praesidium est? ite in latebras, perfidi! ego, ego me obiiciam fatis. agnosco ferientis manum! Deum revereor! huc, pueri, mecum!

Scena quarta

Anastasius, Hypatius, Vitalianus, Iustinus, Iustinianus

- Vital. Ultra ne ferte pedem. respondit eventus votis: tenemus Regiam. superest, ut scrutemur latebras, quae tyrannum occulunt.

- Iust. Vitaliane, quantum debemus! eripuisti ex mortis faucibus, quem nos proditorem putavimus. da veniam errori.
- Iustin. Quis non errasset in fabula tam intricata?
- Vital. Differte ista; tyrannum petimus.
- Anast. Labori parcite! ipse se vobis offert. videte, quid vos deceat statuere in Principem, quem deseruit Deus. ego, quae patior, commerui omnia; quin in me ipso plectam. ecce, coronam et sceptrum posui, regno me ab dico, Sacramenti obligatione vos absolvo! imponite decus hoc quam splendens, tam grave capiti digniori; mihi si vitae tantillum relinquitis, quantum Deus concedit, ut de me scelerum poenas exigam, beneficium facitis: beatus sum.
- Iust. Superi! quae haec metamorphosis?
- Anast. Illius, qui dispergit superbos mente cordis sui et deponit potentes de sede, cum libet. nihil vobis, nihil armis tribuite! vitam poteratis adimere, haurire sanguinem, lacerare membra Anastasii; huc adigere, ut supplex occurrerem, ut pacem a subditis peterem, ut abicerem Maiestatem ad pedes, non poteratis. Omnipotentis hoc prodigium est: ille depressit superbum Spiritum et insolentem arrogantiam domat.
- Vital. Amici! verbis creditis, quae ultima necessitas exprimit? nae, vos male Anastasium noscitis! statuite supplicium! si verba menti congruunt, patienter feret, quod meruit.
- Hypat. Amici! parcite Patruo! ego, quod meruit, luam.

Scena quinta

Accedit Oeniandus

- Oeni. Quid agitis, viri? vix per medios armatos inveni viam; vos duces estis?
- Vital. Tu deeras actui, Pater, qui dignus est, ut spectatores Superos habeat. tenetur tyrannus quinque lustrorum; exigimus poenas, quas meruit, imo infra meritum omne. vitae parcimus, tonde in Monachum! haec Christiana vindicta est.
- Oeni. Erratis, o boni! hanc Christus vindictam nolit!
- Anast. At ego, Pater, etiam graviorem non deprecor. ulciscere, Coelum, iniurias illatas tuis! fulmina scelestum caput! ex Anastasii supplicio tyranni discant, quid sit rebeli spiritu oppugnare Ecclesiam.
- Iust. Attonitus sum!
- Oeni. Video prodigium gratiae, quale in Saulo fecisti, Christe, cum spirantem minas adversum tuos lumine circumfuso prostrasti!
- Iustin. Quid facimus?

- Oeni. Surge, Auguste! et felix impera!
- Anast. Non impero! cui mavis, impone coronam, Pater! qua quisque est dignior.
- Oeni. Imo tene imperium! quem execrati sunt populi peccantem, venerentur in solio poenitentem et laudent Deum, qui indomabiles domat et ex lapidibus filios Abrahae facit.
- Vital. Pater, proceres, nihil credite verbis: hypocritam novi! fer forficem, puer! tondeatur! si vere est poenitens, non erit invitus.
- Oeni. Siste, Vitaliane: fides servanda est Deo, fides Principi; utrique iurastis. hic vultus, hae manus, hic habitus milites loquitur, Christianos non loquitur. militum est pugnare, Christianorum fortiter pati, quae fidei causa inferuntur, iniurias. non defendo Anastasium, Imperatorem defendo. omnis potestas a Deo est, oportet vereri. quodsi quis Regum potestate accepta abutitur, mediis, quae nostram sanctitatem decent, corrigatur, non violentis, non crudelibus, non propriis barbarorum. nunquam seditiosi motus felicem exitum habuerunt, etsi quandoque principium non videretur scelestum fuisse. alia remedia sunt, quibus etiam tyranni sanantur; aut, si nulla prosunt, preces, preces faciendae sunt Deo, ut vel cor durum emolliat vel hominem obstinatum tollat e medio. quid facimus, cum pestis civitatem affligit? nempe ad Deum refugimus, oramus. malus Princeps malum publicum est, pestis est, qua Deus malos subditos punnit. placemus Deum, oremus, ut tollat. quodsi et preces non audit Coelum, patientia! signum habemus, velle Deum punire quorundam socordiam, aliorum probare constantiam. huic vos Divino consilio acquiescere decet. ponite arma! pacem facite! Christus iubet.
- Anast. Ah! quid pro impio peroras, Pater!
- Vital. Vicisti, Pater! excusa militarem ferociam! credidi obsequium me Deo facere, si vindicarem Ecclesiam. melius per te doctus, primus arma ad pedes Augusti pono, quae primus strinxi! ignosce, Caesar!
- Iust. Exemplum sequimur.
- Iustin. Peccatum est.
- Ambo Ignosce, Caesar!
- Anast. Confundor pudore! Christe, quantum potes! Oeniande, coronam digniori impone. en nobilem victoriam, qua quisque imperium meruit. ad pedes iacent, qui accesserant occisuri.
- Omn. Coronam tene! impera pius.
- Anast. Surgite, amici! mihi regnatum est satis. melior imperet.
- Omn. Non surgimus, donec recipias sceptrum.
- Oeni. Recipe! et iam melior melius utere. nos renovamus homagium et fidem iuramus.
- Omn. Iuramus.
- Anast. Cogitis. recipite arma! sit mutua iniuriarum oblivio.
- Omn. Vive felix, impera pius!
- Anast. Iuro, detestor Eutychem et, quidquid haeresin sapit! iuro, recipio et tuebor Chalcedonensem Synodum, cui quisquis se opponet, pro ho-

ste erit. iuro, quos in exilium Episcopos Catholicos expuli, revocabo et suis sedibus reddam. iuro cum Ecclesia Romana et eius Pontifice perpetuam pacem colam. quid exigitis amplius?

Oeni. Vt opera verbis addas.

Anast. Obsidem, donec omnia exequar, Hypatium trado, quo nihil est in hac vita charius mihi. veni, Nepos! Vitaliano permittite te, Tutorem habes.

Iust. Nihil obside est opus, Caesar! imperet Hypatius, quod decreveras, tecum. coronetur!

Anast. Respuit coronam puer sapientior Patruo.

Iustin. Adde, quod deest gaudio diei huius: in te vivunt spes nostrae, Princeps!

Vital. Et florida virtus recreat.

Oeni. Nihil delibera. votum Patruum et Patriae idem est. annutum praebe.

Hypat. Tecum, Auguste, mutavi me! accepto coronam, quam offers, sed ab Oeniando, precor, imponi iube, non a Timotheo.

Oeni. Ah! ut mihi de Timotheo dolorem renovas! periit infelix et - quis dubitet - ad poenas abiit, quae non habent finem.

Anast. Heu! quo nuntio me percellis? Timotheus iam mortem obiit?

Oeni. Cum inferrem cubili pedem, ille animam cum gemitu expuit horrendum vociferans: 'perii! actum est!'

Hypat. Funesta mors! quid iam profuit Patriarcham fuisse! et scilicet mihi proderit fieri Caesarem?

Iust. Proderit, si bonus fies. Timotheus, ut vixit, obiit; dignam sceleribus mercedem habet.

Anast. Et quid me manet! ah! Pater! prodromum video interitus mei! ego indignum praefeci Ecclesiae cum detrimento tot animarum.

Oeni. Grave crimen! sed tibi poenitenti tempus Deus concedit, negatum Timotheo. uti propera.

Iustin. At populus impatiens expectat reduces. si per te licet, docemus factum et reddimus omnes participes gaudii.

Vital. Gaudium magnum est! Timotheus periit! Anastasius se mutavit! Hypatius est Imperator!

Hypat. Et Oeniandus Patriarcha.

Anast. Bonus delicias cumulat Deus.

Oeni. De me alias. nunc sine dilatione ad opus, quod Deus expectat.

Anast. Tecum transigam. vos, amici, Nepotem producite populo datae fidei testem. quietem urbi reddite; ludos adornate, quibus coronidem demum Oeniandus imponet, mecum superveniens ad coronandum Nepotem.

Scena sexta

Marinus, Amantius

- Marin. Iam vero periius toti! audisti feralem clamorem: coronetur Hypatius! miseret me fratris, quem per te credebam successurum Iustino; magis me tui miseret, quem spes omnis destituit obtinendi imperii. infelix dies, quantum malorum acervum congregat! Timotheus periit! Anastasius se mutavit, Hypatius est Imperator, et Oeniandus sine dubio Patriarcha. et quid nos?
- Amant. Nisi aliquid facimus, nihil.
- Marin. Quid faciemus? ego sum inops consilii.
- Amant. Expectamus Augustum, donec ad ludos prodeat.
- Marin. Nempe ut ignaviam exprobret, qua deseruimus periclitantem? vah! me pudet mei!
- Amant. Ego, mi bone, si scivissem, sic pacifice tumultum finitum iri, non fugissem. si occidissent Principem, quo fructu cecidissem cum ipso? pro Principe cadere gloriosum est; cum Principe, quid habet laudis?
- Marin. Tamen crimini fuga dabitur: excidimus gratia.
- Amant. Est modus nos restituendi.
- Marin. Quis ille?
- Amant. Si in odium reiicimus Vitalianum et socios.
- Marin. Speras fieri posse?
- Amant. Facile. Imperator in horas est varius et affectibus indulgens suis, inter quos maxime imperant ambitio gloriae et praeceps ira. iam vidimus, quo illum ultima necessitas et timor mortis adegerit: adgeniculari subditis, coronam deferre, supplicii se reum facere, deprecari flagitia non erubuit miser.
- Marin. Intellego, quid velis. dedecus exaggerare iubes, quo affecta Maestas est. enimvero divinum consilium!
- Amant. Demonstrabimus, quam execrabilis audacia sit, Principem sic tumultuose invadi a subditis et ad desperata consilia adigi.
- Marin. Dicam, eum posthac non nisi precarium Imperatorem fore, cui exprobrare subditi quotidie possint, quod coronam non suis meritis, non sanguini, non legitimae electioni, sed ipsorum misericordiae debeat.
- Amant. Dicam, eum se exposuisse risui ac sannis scurrarum, qui, cum audituri sunt factum, absque dubio in compitis et triviis inter cachinnos et sibilos gloriaturi sint, quantum viribus valeant, quippe Imperatori alias tam formidato formidabiles facti.
- Marin. Dicam, infamiam aeternam fore: dedecus lectum iri in historiis, exhibitum iri in theatris, pueris declamationum materiam fore.

- Amant. Dicam, quanti referat Principis, laesi honoris illustrem vindictam capere! quam insolescat vulgus, quam crescat audacia, si vel semel triumphasse se videat! quam, si quid posthac imperaturus sit, semper timere debeat, ne vel ex cerdonibus quispiam insurgat in scelus et sibi similes velut in tyrannum educat in aciem. non iam Imperatorem, sed mancipium fore, certe nihil diversum a scenico Rege, cui, si pro vero se efferat, vestis detrahitur.
- Marin. Dicam, exemplum eum dedisse nunquam visum, nunquam auditum. Reges exteros et posteros indignaturos non tam proterviae subiectorum ad tantum facimus progredientium quam ignaviae Imperatoris facinus non ausi punire. credituros, Anastasium aut extreme stupidum aut misere timidum fuisse, qui vel dedecoris gravitatem non intellexerit vel plectere tantam insolentiam non poterit.
- Amant. Ille vero quo vultu sic loquentes excipiet?
- Marin. Expallebit iracundia.
- Amant. Exardebit pudore.
- Marin. Livebit odio.
- Amant. Furet vindictae cupidine.
- Marin. Tremet horrore dedecoris.
- Amant. Tabescet tristitia.
- Marin. Timore iactabitur.
- Amant. Audacia effervescet. en, progreditur. nunc linguam arma.

Scena septima

Marinus, Amantius, Anastasius, Oeniandus

- Anast. Tandem prorepsistis ex cavernis, trepidi lepores!
- Ambo Pudet, Auguste, et agnoscimus malum.
- Marin. Sed insolentia hominum omne consilium abstulit.
- Amant. Nihil cogitare, nisi fugam potuimus.
- Anast. Vides, Episcopo, quantum excuses facinus!
- Oeni. Accuso, Caesar, sed deprecor ultionem.
- Anast. Surgite! ego et vos offensi sumus. vindicabimus probrum.
- Ambo Iube in tela et ignes ire.
- Oeni. Nihil obtineo?
- Anast. Oras, quod fieri non potest. memento, quo proiecta Maiestas sit.
- Oeni. Agnovisti in subditis Dei manum!
- Anast. Aeterna infamia est, nisi sanguine reorum eluo.
- Oeni. Poenam condonasti!
- Anast. In horas novi motus timendi sunt, nisi terrore frangatur audacia.

- Marin. Sic est, Auguste, vidimus curvantem coram subditis genu et expavimus demissionem.
- Amant. Vidimus corona et sceptro se abdicantem et ...
- Anast. Silete dedecus meum. certa est sententia: vindicabo. vos tum redituros in gratiam credite, si ultionem exequemini celerem et ferocem.
- Ambo Impera modum.
- Anast. Hic modus est: populus congregatur ad ludos, Hypatius ad coronam paratur. vos a Vitaliano, Iustino et Iustiniano recipite milites, quibus praesunt; ipsos iubete ex meo imperio proximos in corona procerum Hypatio stare. Amanti, tu donationem ducibus ex aerario fac; tu, Marine, promissa militibus. tum in medio ludo in turbam irruite et, quotquot potestis, mactate. acerba est medicina, sed necessaria malo.
- Ambo Intelleximus totum.
- Oeni. Vah! crudelem sententiam! ergo innoxii cum noxiis luent?
- Anast. Duces rebellium - Vitalianum, Iustinum ac Iustinianum intelligo - cum custodia ad me perducite.
- Ambo Bene.
- Oeni. Ego te, Princeps, ex manibus tumultuantium rapui: non merui gratiam, ut deprecanti pro reis veniam concedas, cum tanta pompa promissam?
- Anast. Gratus sum, qui te hic studiose retinui, ne in periculum caedis venires.
- Oeni. Hoc nempe est ludere.
- Anast. Cave, ex aula abeas. custodiam ad portas monete, ne quis exire Episcopum sinat.
- Oeni. Heu me! deceptus sum! hypocritae credidi et optimos viros tyranno tradidi. Superi! qui hominibus fidem datam non servat, nec vobis servabit. prospicio redeuntem procellam! perfidum, periurum Caesarem habemus: non Eutychem detestaris, non Synodum revereris, non revocabis Episcopos, non pacem cum Pontifice coles!
- Anast. Nihil deciperis. iuravi coactus: mens iurandi non fuit. Eutychem tuor, Synodum nihil curo, Episcopi in exilio peribunt; Papa non habet, quod iubeat. nos imperare volumus, imperari non volumus. haec iusta vindicta est in rebelles Pontificios.
- Oeni. Et nihil iam de ferali somnio cogitas, miser!
- Anast. Disparuit. vos me securum facitis.
- Ambo Facimus.
- Oeni. Et nihil movet funesta Timothei mors.
- Anast. Abi, canis!
- Oeni. Abeo et oro Deum, ut faciat finem malis. fulminatrix, si nescis, virtus in precibus est: ascendunt et pro bonis densantur in pluvias, pro malis in grandinem ac tempestates.
- Anast. Minare, Popa! minare pueris haec bruta fulmina! virum non terres.

- Oeni. Non sunt bruta. senties sero nimis, quid vota servorum valeant apud optimum Dominum. diu passus est furere Pharaonem; denique precibus exoratus Aegyptum totam submersit.
- Anast. Pharaoni me comparas?
- Oeni. Pharaonem loquitur superba vox: 'nos imperare volumus, imperari non volumus!' velut dixisses: 'nescio Dominum!' atqui vivit Dominus, in cuius conspectu sto et ego orabo, ut te auferat de terra cito, ut fias in proverbium omnibus gentibus et trepident omnes Principes, cum audierint de te. tabescere me facit zelus meus! et indignatione deficio.
- Anast. Ego tibi linguam ex faucibus rapiam, ut orare non possis.
- Oeni. Infelix! cor orat, etiam cum silet lingua.
- Anast. Cor eruam!
- Oeni. Sanguis clamat in Coelum.
- Marin. Pro! quanta est patientia, Princeps!
- Anast. Quiesce placidus, Oeniande! iam nihil efficis. stat experiri, num sis Propheta.
- Oeni. Miseret me! orare timeo, quia timeo exaudiri; et tamen orare cogor, quia cogor iuvare. experieris, fatue! experieris, quam verum sit illud: 'Deus non irridetur!' at vos, ministri scelerum, rapite, quo iussi estis. en, praecedo. quod facitis, cito facite, ut cito impleat mensuram scelerum scelestus Dominus, quem prae Domino Dominorum timetis. et tu, Amanti! nonne Iustino finxisti amicum te? nunc carnifex eris?
- Amant. Sum, quod iubeor.
- Oeni. Vtinam sis, quem iubet te Deus esse! perfidiam lues.
- Marin. Vt ardet Popa!
- Amant. Ardeat, non accendet, nisi nos applicemus. macte! in nostras spes!
- Marin. Quod felix faustumque sit nobis, hodie multo sanguine pluet! imber foecundus erit.

Chorus II.
Repentinus interitus Animae obstinatae

*In illa verba: in una die venient plagae eius,
 mors et luctus et fames, et igne comburentur (Apoc. 18).*

Nemesis, Pseudo-Prophetae in tortores mutati, Ioci in praeficas,
 Quatuor Elementa per turmas, <Babylon>

*Theatrum exhibet urbem Babylonem obsessam a quatuor Elementis.
 ex nubibus descendens ad dormientem in munimentis.*

Nem. Ad arma! ad arma! nunquid semper tacebo?
 Pugnet mecum orbis terrarum! ad arma! ad arma!

Ariose

Dormi! dormi!
 Quae signat vitae tempora,
 Effluxit nondum clepsidra;
 Sed iam mensura scelerum
 Impleta est: supplicium
 Non ultra differetur,
 Hac hora exigetur.
 Dormi! dormi!
 Vos probroso famulatu liberi
 Servite posthac Nemesi. ad arma! ad arma!
 Eia! quis exequetur, quod statui?

Chorus

Terra Ego vadam absorbebo!
 Aqua Ego vadam et delebo!
 Aer Ego vadam et difflabo!
 Ignis Ego vadam et cremabo!
 Omn. Ad quaecunque vis tormenta
 Prompta habes Elementa:
 Omnia supplicia
 Meretrix est merita.

Babyl. Heu me! quid audio? quid video? quo fugio?
 Amici! amici! portas claudite, muros defendite!
 Nem. Frustra es: nulli iam sunt amici.
 Babyl. Vigilone an adhuc somnio?
 Nem. Ecce, nondum evigilavit serio.
 Infelix somniasti falsa gaudia;

Vera iam senties et acerba supplicia.
Claude portas! oppone moenia.
Nemesi nulla via est inuia.

Aria

Non videor videre
Et tamen video;
Credor connivere,
Sed non conniveo.

Nullum est scelus a poena immune,
Nemo me unquam offendit impune:
Ascende in Coelum, et adsum!
Descende in Orcum, et adsum!
Transnaviga mare, et adsum!
Serius aut citius
Feriet hic gladius.
Si quaeris ex me: quando?
Aio: aliquando.

Vos iam audite sententiam,
Quam exequemini contra Babyloniam:
Hac hora *venient plagae eius*,
Mors et luctus et fames,
Et igne comburetur! ad arma!
Vallo circumdate, coangustate undique!
Nec lapidem super lapidem relinquite!

Ariose

Terra muros succute!
Ignis tecta corripe!
Aër, aqua vigilate!
Fugientes suffocate!
Scortum mihi sistite.

Chorus oppugnantium

Concordibus votis
 Et viribus totis
 Vliscimur Divam offensam!
 Qui Nemesin habent infensam,
 Infensos habebunt et nos!
 Inutilis metus,
 Iam serus est fletus;
 Cum placuit vobis ridere,
 Licebat utiliter flere.
 Nunc scelera opprimunt vos!

Chorus fugientium

Vae illa magna civitas!¹
 Vae illa fortis civitas!
 Vna hora desolata!
 Flammis data, deformata!
 Vae! vae Babylonia!
 O quae cavernae montium
 Dant miseris refugium?
 Ah! qua via evademus?
 Preces, preces geminemus:
 Parce, o Iustitia!

Moenia evertuntur, meretrix capta rapitur ad rogam et crematur.

Ps.-Pr. Captivam huc trahimus, Diva!
 Babyl. Proditor! proditor!

Duetto

Babyl. Sic me decepisti!
 Nonne omnem faustitatem
 Et longaevam sanitatem
 Audax promisisti?
 Nonne verum a Chaldaeis,
 Falsum dici a Hebraeis
 Perfide dixisti?
 Non in Coelo te vidisse,
 Non in stellis haec legisse
 Mendax crepuisti?
 Diva, mei miserere,
 Quam tam foede decepere
 Blaterones isti.

Ps.-Pr. Quare credidisti?

Ps.-Pr. Quare credidisti?

Ps.-Pr. Quare credidisti?

Ps.-Pr. Quare credidisti?

Ps.-Pr. Quare credidisti?

Nem. Tandem video trepidantem,
 Quae toties risit minantem.
 Nihil agis. per quae quis peccat, per haec et puniatur.
 Abripite, spoliare, cremate!
 Rogum dabunt rudera,
 In quae conciderunt scelerum instrumenta.

Fit rogas.

¹ Apoc. 18.

Aria

Huc oculis, huc animis
Adeste, obstinati!
Quis denique, perpendite,
Quis finis sit peccati!
Quo pes est lentior,
Hoc manus gravior.
Qua non putatis hora,
Repente, sine mora,
Bis acuto gladio
Armata advolo:
Ictus unus duos ferit,
Anima et corpus perit.
Cunctantem etiam
Timete patientiam.

Babyl. Ergo non misereberis amplius?

Babylon comburitur.

Nem. Non misereor. *quantum in deliciis fuit,
Tantum illi date tormentum et luctum!*

Chorus

Ch. Vre, misera!
Nunquam comburenda!
Lue flagitia!
Nunquam eluenda!
Qui sapit, ex tuo supplicio discat,
Tempori sapere,
Crimina plangere,
Priusquam sub pedibus terra dehiscat.

Pars tertia

Anastasius punitus

Scena prima

Oeniandus, Hypatius

Exhibetur aula et thronus et pegma ad supplicium reorum.

Oeni. Oravi; et nisi me vehementer animus fallit, auditus sum. vae tibi, Anastasi! coire nubes vidi, quae fulmen excoquant ...

Successive tempestas ingruit.

Intonas, magne Deus? ... o murmur grave! audite, impii! ita Maestas loquitur etiam illis terribilis, qui negant Deum. quanquam haec miserentis est lingua, non punientis. minatur, ut parcat. utinam intelligeretis! sed nimirum iuvat aures occludere, iuvat minas contemnere, ne obturbent libidini! o fatuum! nam qui spernis, nonne et ipse sperneris? Deum non audis, nec Deus te audiet: clamabis surdo et cum infelice Antiocho deprecaberis Dominum, a quo misericordiam consecuturus non es. o luctus! o dolor meus! ergo peribis, Anastasi! poteras ingenii gloria, prudentiae laude, fortitudine animi, potentiae terrore, indolis comitate, scientiarum cultu, virtutum politicarum omnium possessione esse maximis Principibus maior, esse Superis et hominibus charus, esse in utroque saeculo felix; una haeresis corrumpit tot decora! unum vitium abominabilem Coelis et terris, unum infelicem facit in tempore et aeternitate! hem immanem stultitiam! ah! quantum indignor sceleri, tantum miseret miserrimi Principis! miserescite, boni Coelites, et tandem cor durum mollite! obstinavit se fatuus, ne retractet errorem; et errat semper, ne videatur semel errasse! ita se famae, ita gloriae consulere credit! o fatuum! o insanum! urgebam toties, ut vellet mentem saniolem admittere; et sentiebat se urgeri a te, mi Deus! resiliit semper et nunc me demum a se eiecit cum sarcasmo: 'scilicet, Oeniande, hanc gloriam quaeris, ut dicatur de te, quod Anastasium converteris! non habebis. convertar, cum ego volam, non quando tu.' o fatuum! o insanum! nam quis ego sum, ut mihi potestatem in cor humanum arrogem? in tua manu, Domine, in tua manu sunt corda Regum! utinam cerea, utinam saltem tractabilia sint!

Hypat. Ah! Pater! quantum malum nuntio! scilicet per aggesta cadavera in solium evehar!

- Oeni. Non feris inscium. clades facta est: nunquid?
- Hypat. Clades immanis inter medios ludos, furente milite in inermes, nullo discrimine. ego, quid tanta saevities velit, non intelligo! subduxi me fuga cum Iustiniano, quem continuo Marinus a latere abstraxit in vincula. ominor omnibus Catholicis necem. subtrahimus nos furori, Pater! mecum fuge!
- Oeni. Imo tu pugna mecum. quanto est sceleratior Anastasius, tanto est propinquior suo exitio. ne deseramus! audis Tonantis vocem?
- Hypat. Assuevit audire. nisi fortius tonet, non terret.
- Oeni. Insinuat se suaviter orator Deus in exordio colloquii sui! vae auditori, quem non habet benevolum! quem non movet oratio, peroratio conteret. ingredi mecum: verba nostra iungamus voci Numinis; forte habebunt pondus. quamdiu vivimus, desperandum est de nemine.

Scena secunda

Oeniandus, Hypatius, Anastasius

- Hypat. Superi! quale se theatrum obiicit? Auguste Patruum! haec pompa paratur mihi? sic agis diem festam haeredi coronae sacram? ferale omen! portentum grave! multa hominum millia caesa sunt: ludus in tragoediam desiit, in obvium quemque furit miles, ubique gemitus morientium aut coesos lugentium, planctus sonant; moerore et metu civitas squallet. ipse vix evasi caedem, inter tumultuantium fremitus aegre ad te elapsus, quem nescio, Patrem compellem an Iudicem! ah! per dulce fratris nomen, qui te oravit moriens, ut pro filio pupillum susciperes, obtestor, Patruum, quid tantum in te peccavi, ut sic illudas misero? hoccine est Imperatorem dicere? hic apparatus decet?
- Anast. Hic decet. surge, Nepos! et imperantis ferociam indue. iste stat tibi thronus! in hunc ascendes hodie; ex hoc primum fulmen in Vitalianum, Iustinum et Iustinianum deiicies ac Maiestatis reos lictori trades. hic actus primus decet.
- Hypat. Amicos damnare, hic actus decet? parce, Imperator, coronam deprecor! nolo purpuram, quam foedat innoxius sanguis!
- Anast. Amicos, puer, innoxios vocas, quos Anastasius damnat?
- Hypat. Quos venia donasti, quos in amicitiam recepisti innoxios, amicos voco!
- Oeni. Generose Princeps! dissimulat Patruus crimen verum. proceres Catholici sunt: hoc scelus condonatum non est.

Hypat. Hoc scelus mihi et tibi commune est. paulum ante, Patruë, iurasti fidem, damnasti Eutychem, Chalcedonensem Synodum probasti, revocare Episcopos, revereri Pontificem promisisti: te ipsum damnas? haec inconstantia decet?

Anast. Blatero! tu me doceas? a praeceptore didicisti audaciam! exauctoratum, Oeniande, iam nunc te scias. male functus es Moderatoris officio, quo te honoravi! volebam promovere te, volebam ditare: obstitisti fortunae tuae et meae benevolentiae. abi! quod non ad dam, in exilium! hoc gratiae debes. abi.

Oeni. Attigit summum verticem saeva crudelitas!

Hypat. Ah! Oeniande!

Oeni. Vale Princeps!

Anast. Abi!

Tonat.

Oeni. Audis, Imperator, quod sit super te aliquis, qui metuendus est tibi?

Anast. Hac hora peribunt, qui metuendi sunt mihi. Nepos, ama Patrum, qui amat te! quod factum est, fieri necesse fuit, ut meo honori et tuae securitati consulerem. metuant te, quibus imperas, ne imperent tibi. felicibus auspiciis coronatur, cui pro acclamationibus suspiria subditorum et fletus pro plausibus sunt.

Hypat. Parce, Patruë. imperium nolo, quod triste obedientibus sit.

Anast. Imperare non vis? ergo obediens imperanti. triste an laetum imperium sit, perinde est: obediens. ex hoc solio damnabis rebelles proceres. ego impero. obediens?

Hypat. Iusta impera!

Scena tertia

Personae omnes praeter Oeniandum, Milites

Amant. Auguste, imperium implevimus tuum. trepidat Maiestatem tota civitas! secure imperabis, quod voles. plus quam trium millium sanguine vindicavimus excitatum tumultum, auctores in vinculis Marinus trahit. en, intrat.

Anast. Hoc me spectaculum recreat! hoc iuvat et decet, Nepos.

Marin. Vive, Auguste, et impera felix!

Omn. Vive!

Tonat.

Marin. Sisto scelestam triadem; et militem exhibeo cruore perduellium nobilem!

Anast. Fida cohors! laudo solertiam: praemium te dignum feres!

Omn. Vive, Auguste, et impera felix!

Anast. At vos, homines bardi ac stolidi! credere potuistis, immane facinus vobis impune fore?

Hypat. Pro aspectum feralem!

Anast. Submittitis tandem rebelle caput et agnoscitis Dominum, quem spreveritis? ubi nunc est ille animus ferox, quo insultastis? ubi audax protervia, qua irruistis? ubi atroces minae? scilicet iam in Monachum totondistis Anastasium? at ego faciam, perditum, ut vos ita tondeat carnifex, ut nec pilus boni viri in quoquam supersit. eia! iam cape sceptrum, Vitaliane! impone coronam Iustino tuo! vecors! tibi amicus prae Caesare sit! cui iurasti fidem? Iustino an mihi, perfide! en, hoc amico solium erexisti, in hoc pegma evehes. Iustine, gratias amori debes! exulta! plaude! primus a consiliis Iustinianus stabit individuus comes scelerum. Duumviri nobiles! Imperatori trunco servietis pro manibus, dextram Vitalianus, sinistram Iustinianus efficiet; ita invictus bello, pace beatus eris. bella consilia! adora prudentiam orbis et gratulare fortunam tibi, quanta est, a sapientissimo regi! subulce, tu affectare imperium ausis? credidisti artem eandem esse, porcos et homines regere?

Iustin. Quousque insultas miseris? duci iube!

Iust. Imo loqui sine: morituri loquemur verum.

Anast. Scilicet convitia audiam? audiam. eia, omne venenum vomite! amici! testes impudentiae este; neque enim quidquam loquentur pacifice, qui scelus amant. vides, Nepos, quos ames tu? num fatentur culpam? num deprecantur? num dolent saltem? imo nunc, credo, etiam defendent. audiamus!

Vital. Verba perdit, qui coram tyranno loquitur.

Anast. Latrat canis.

Vital. Quidquid dicturi sumus, occidemur: sic enim decretum est. ego a te deprecor nihil. vos, amici, oro, Vitaliano ignoscite! in hanc calamitatem ego conieci vos, erratum est graviter! sed ex tyranni mandato erratum est: ille iussit allicere ad facinus, quod nunc damnat. ah! nimis obediens fui! non obedissem, periissem solus; vos extra periculum cernerem. nunc ex hac una causa luctuosa est mors, quod vobiscum communis.

Tonat vehementius.

O ut possim pro tribus mori.

Iust. Cessa gemitus indignos viro! culpa, in quam nos pertraxisti, condonata est omnis. audivimus bona verba, gestus amabiles vidimus, iuramenta percepimus. novi nihil peccatum est; vetus est culpa, et omnium eadem: Catholici sumus! culpa felix! gaudete, viri! nemo potest gloriosius mori. ego a porcis ad militiam transii; ignobilis ortus fuit, non tamen ignobilis vita. meis meritis, non Maiorum beneficio, non patronorum favori, non pecuniae, non malis artibus debeo, quidquid sum; neque in gradum, quem teneo, saltu perveni,

sed passu, semper Imperatori fidelis, semper studiosus boni publici, semper magnorum facinorum avidus cum contemptu periculorum. itaque sic vixi, ut vixisse non pudeat. accedit iam vitae laudabili mors gloriosa! beata sors! debeo tibi, Imperator, pro pluribus beneficiis gratias; pro hoc ultimo omnem gratitudinem debeo. quid rependam? sanguinem, sanguinem, quem pro te toties in acie fudi, nunc omnem Numini pro te offeram, ut emolliat durum cor et avertat interitum, quem est minatus!

Anast. Dolose Sinon!

Iustin. Nihil metue dolos. mens bona est nobis, qualem et tibi optamus. heu! quid iuvat, falsum scelus praetendere, ut innoxios damnes! scilicet decipies Iudicem Deum, qui tibi cor et renes scrutatur! semper hypocritam suae artes decipiunt. intentatas coelitus minas cupis evadere: sapienter. ideo mori nos iubes, velut a nobis impenderet tibi vitae periculum: inanis est spes! occideris nos: nunquid et aliorum ferro ac insidiis pates? scilicet in immani clade, qua hodie affectus est populus, ceciderunt omnes, quotquot oderunt te? non puto; quin ita existimo, multo ex caesorum sanguine plures esse nascituros, qui te aversentur, quam erant heri. sed demus, percussos metu omnes, iam nihil in te ausuros atrocius, nunquid etiam Deum percussisti? elusi oraculum! o spes inanis! quidquid creavit Deus, armare potest in tuam necem. ecce, fulgetrum micat! geminantur tonitrua!

Tonat iterum.

Quod fulmen non proruat, tu, credo, prohibes? quam celeri morte tuus Timotheus periit! eiusdem sceleris reus es nec idem supplicium times? viden', ut nihil de nobis solliciti, anxii pro tua salute simus, cuius tu adeo incurius es. liberos, scio, liberos hoc momento diceres, si adhaerere haeresi, si Ecclesiae Romanae refragari vellemus. sed tanti vitam non emimus. anathema Eutychi! Synodo Chalcedonensi iuramus! Catholici morimur!

Tonat iterum.

Vital., Iust. Anathema! *etc. etc.*

Iust. Lictor, obnube caput, ad palum alliga! vale Hypati Princeps! et cave Patru exemplum sequi.

Vital., Iust. Vale et impera pius!

Anast. Obstinati! videtis, ut nemo excusaverit crimen! deprecatus sit nemo! quid vobis videtur?

Amant., Marin. Rei sunt mortis.

Hypat. Quid? num isti sunt Iudices? paulo ante me nominasti, ut sententiam dicerem in contumaces.

Anast. Acceptas demum?

Hypat. Irascor, fuisse lentum.

Anast. Sic places. tribunal scande et poenam pronuntia.

In pegma procurrit.

Vah! quo ruis, puer?

Hypat. Eiusdem, amici, vobiscum criminis reus sum! Auguste, Catholicus sum! mortis me ipsum damno! o chara capita!

Anast. Insulse, effrons, proterve puer! lictor, ferrum in reos expedi! vos abripite puerum!

Hypat. Non ego impero?

Anast. Ego spectaculo ex alto fruar.

Vital., Iust., Iustin. Anathema Eutychi! Catholici morimur.

Hypat. Vobiscum moriar!

Primum feritur Regia, tum fulmine thronus sternitur.

Omn. Pro fragor horridus!

Marin. Sonus, Auguste, vicinam signat labem. exploro Regiam: miles, mecum.

Anast. Lictor! absolve officium!

Vital., Iust., Iustin. Vltor se monstrat Deus!

Omn. Heu, solium corruit!

Anast. Vah!

Hypat. Auguste!

Omn. Fugite! perimus omnes.

Anast. Ignavi!

Hypat. Fuge! aula flammis sulphureis crepat! viden', qui surgant globi?

Anast. Coelum ferox!

Scena quarta

Anastasius, Vitalianus, Iustinus, Iustinianus, Oeniandus, Amantius

Vital. Coelum pro nobis pugnat. actus terrore in fugam lictor fugae dat nobis locum.

Iust. Quam prope a palma abfui!

Iustin. Nondum Coelo maturi sumus. solve vincula!

Vital. Este liberi.

Iust. Tempestas horrida!

Iustin. Hem, iacet superbi fastus cruenta sedes!

Vital. Iaceat! curemus nos. quid est agendum?

Iust. Fugam suadeo. nemo observat nos.

Iustin. Consilium timidum.

Iust. At prudens. Ecclesiae vita nostra prodesse potest: ut fortiter reddenda, cum necessitas poscit, ita non profundenda, cum Deus non urget.

Iustin. Ego expecto finem. nam aut sternet tyrannum fulmen, aut terror expugnabit ferociam. si peribit, praesentia nostra est opus Hypatio contra affectantes imperium; si metu fit melior, nihil opus est fuga.

Tonat.

Vital. Ego vero terroribus a Coelo incussis terrores esse addendos a nobis puto et adigendum hominem, ut se imperio, uti statuit, re ipsa abdicet. aliter non erit quies.

Anast. Pro saevitiem poli! furit per omne palatium flamma et totam Regiam vorat. iuvate, proceres!

Vital. Hem! bona verba! tonare cessas, dum tonat Coelum! cum detonuerit, redibis ad ingenium; clamabis: 'lictor, obnube caput! secures expedi!' disce, vereri subditos. nemo ita abiectus est, ut non aliquando utilis esse etiam summis possit.

Anast. Parce insultare Principi tuo. satis miser est, quem Deus odit.

Tonat iterum.

Heu! quo me recondo? insequitur ultrix ubique flamma!

Iust. Vitaliane, vincamus in bono malum. sentit iratum Deum: initium salutis habet.

Iustin. Recenti clade offensi cives non nisi per nos impellentur, ut conferant operam ad restinguendum incendium. eo, urgeo.

Vital. Movetis exemplo. sequor te.

Iust. Ego Anastasium, qua possum, iuvo.

Amant. Iustine, non vidisti hac Augustum ire?

Iust. Egregius custos es.

Anast. Nec hic est quies.

Amant. Auguste, fuge! nec civi nec militi nec igni fide! turbantur omnia.

Anast. Quo fugiam!

Amant. In cryptam descende, quam Proclus condidit.

Tonat.

Anast. Vah! fulgor efferus! cessa terrere miserum aut tandem feri!

Amant. Descende cito. securus lates! apponam custodes loco.

Anast. Iustinus prodet!

Iust. Caesar! ego custodiam, iuro! ab hominum furore securus es, dum ego vivo; de ira Dei non habeo vadem.

Oeni. Occursus felix! adhuc vivere Iustinum video. nempe sentit Princeps, quid possit Deus.

Iust. Videt, audit, palpat. hic latet in Procli specu: Proclus pro Deo est; huius confidit arti, velut non etiam petras fulmen scindat.

Oeni. Vidi ardentem Regiam, unde eiecit me! forte nunc felix redeo, et capiet consilium sanum, cum vexatio dat intellectum.

Tonat iterum.

Sine, ut ad ipsum descendam.

Iust. Ipse prodit.

Scena quinta

Anastasius, Iustinus, Oeniandus

Anast. Nullibi me tutum video. Oeniande! ah! Oeniande! o quis Oeniandum ad me!

Oeni. Ecce, adsum. quid me postulas?

Anast. O quis te bonus genius reduxit mihi! consilium praebe, nunc audiam. pavor, timor, tremor mentem flagellant undique; undique occurrit scelerum imago torva et animum laniat. memoriam ferale somnium, oculos umbra infelicis Timothei, aures cruciat sanguis civium, cuius clamori respondet exitium intonans Deus. qua condam caput latebra? ubi securus furoris traham elumbem spiritum?

Oeni. Erratum est, Auguste! tu, qua evadas poenam, es anxius et de culpa non cogitas. non quomodo effugere, sed quomodo placare possis iratum Numen, expendi debet.

Tonat.

Anast. O aurium tormentum grave! recordor, Oeniande, recordor nunc, quae mala fecerim in Ecclesia! iustum est, agnosco nunc, iustum est, subditum esse Deo et Dei Vicario et mortalem non paria Deo sentire. quidquid imperas, faciam.

Oeni. Lunato Deum adora genu!

Anast. Adoro et pectus contritum plango. aufer, Iustine, hoc capitis decus! tolle purpuram! alius decet habitus reum. quae tu tulisti vincula, ego merui!

Oeni. Sic places, Princeps!

Anast. Cessa superbum nomen! mancipium voca. quid adhuc imperas?

Oeni. Retracta scelera!

Anast. Detestor, execror! parce fatenti, Deus!

Oeni. Deprecare prostrata facie et in flagella paratum offer!

Anast. Flens deprecor! heu! quam vitam vixi! merui, Deus, merui, quidquid suppliciorum aut mundus aut orcus habet! sed parce dolenti de commissis et tuam iustitiam trementi; misericordiam, misericordiam suppliciter exoranti!

Oeni. Meliora promitte.

Anast. Hodie me regno abdicō, eiuro Eutychem, Papam revereor, satis faciam laesis, scandala corrigam, reliquos vitae dies privatus et poenitens in orationibus, ieiuniis et vigiliis agam.

Tonat iterum.

Scena sexta

Accedunt Hypatius, Marinus, Amantius

Hypat. O parce, Numen! quem video? o perge, Patruë, instare precibus! adhuc gravidæ nubes volant et minis foetæ. Oeniande, ut animum abiectum erigit aspectus tuus!

Anast. Nondum, ais, detumuit furor!

Hypat. Nondum, Princeps!

Oeni. Iungamus preces! urgere vota nos Deus vult!

Omn. Misericordiæ memento, Deus! et supplici popello parce!

Marin. Quid facitis, simplices! heu! nihil est praesidii in precibus, Princeps! in fuga salus!

Amant. Fuge, Auguste: ignis proximum cubile iam vorat, vagatur late! nullæ vires restinguendo sunt pares.

Tonat vehementius.

Anast. Me miserum! ... tona, tona superbum, atrox, crudele Numen! fure furorem contumax, quem gaudes furere. me inanis poenitentiae poenitet! nam quousque irridebis Imperatorem iacentem ad pedes tibi?

Oeni. Bone Deus! iterum Anastasius loquitur.

Hypat. O vocem diram!

Iust. O gravem blasphemiam!

Oeni. Deum provocas amens clamore tam barbaro?

Anast. Nempe quia obsurduit mihi. quid? non, quidquid iusseras, dixi? feci? et plus, quam iusseras? num movit efferum tanta submissio tanti Principis?

Hypat. Per quidquid est sanctum, Patruë, reverentius de Deo loquere!

Anast. Pudet timuisse! feriat, si vult ferire, et rabiem saturet!

Oeni. Impatiens morae se hypocrisis prodit. Auguste, tibi grave est Deo accidere et non audiri! ego tibi accido supplex! num me audies?

Anast. Scilicet, iterum ut supplicem, imperabis? non supplico.

Oeni. Pessime falleris, si credis, Deum ut homines falli et simulata poenitentia placari posse.

Anast. Quid? fune circumdatum, nudum purpura, prostratum in faciem, palam confitentem, cum lachrymis detestantem flagitia, iurantem meliora, talem tu dices poenitentiam simulare?

Oeni. Simulat sane, nisi paratus ad poenam sit, quamcunque Deus inferat. poenitentis serio hoc esse votum debet: 'deprecor poenam! quodsi deprecantem nolit audire Deus, subibo poenam lubens, ut satis fiat culpae.' quid? haec tua mens fuit? prodidisti te per has blasphemias, non sine tacita conditione te peccata retractasse, dixisse: 'poenitet peccasse! retracto, o Deus, si tu poenam non infers, quam

merui.' vah! quis es tu, ut conditiones pacis praescribere Deo velis?

Anast. Non intelligo te! sed quod dedecet Deum tam inhumana durities, hoc intelligo.

Fulminatur.

Omn. Pro! horribile tonitru!

Hypat., Oeni., Iust. Retracta blasphemiam, Princeps, supplex accide!

Anast. Stantem feriat! perii!

Amant., Marin. Heu! heu!

Hypat., Oeni., Iust. O misericors Deus! ...

Oeni. O Deus iuste!

<Finis>

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Ausgabe von 1760 mit dem Titel-Zusatz „DATA LVDIS AVTVMNALIBVS ANNO MDCCXXXIV“. Das Mannheimer Exemplar ist über das MATEO-Projekt der dortigen Universität im Internet einsehbar (www.uni-mannheim.de/mateo/camena/neum1/te04.html); die htm-Fassung wurde für diese Ausgabe benutzt.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktion wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U* sowie *appell-* statt *apell-*, *commend-* statt *comend-*, *Coel-* statt *Cael-*, *conopoeum* statt *conopaeum*, *exauct-* statt *exaut-*, *libet* statt *lubet*, *vices-* statt *viges-*. An Einzelstellen zusätzlich groß geschrieben wurde: *Coel-*, *Graecum*, *Elementa*, *Haereticis*, *Iudic-*, *Maiest-*, *Monach-*, *Nep-*, *Patruum*, *Popa*, *Rei/Rempubli-*, *Religi-*, *Synodum*, *Tutorem*; klein dagegen: *anniversarium*, *cerebrum*, *civitas*, *clepsidra*, *exilio*, *filum*, *hypocrisis*, *imperium*, *luctus*, *meretrix*, *orator*, *proceres*, *rebellium*, *rhetor*, *seniores*, *status*, *vicesimum*, *vigor*, *vindictam*, *vir*.

Im Darstellerverzeichnis wurden die des Prologs und der beiden Chöre ergänzt. Gestrichen wurde jeweils *Personae* zur Einleitung der Darstellernennung vor den Szenen sowie die erläuternden, aus dem Darstellerverzeichnis wiederholten Zusätze 1,1 *Nepos*, *Dux militum*. Die Nennung der Darsteller wurde geordnet, so 1,4 statt *AOHV*, 2,1 *AnOHAE*, 2,3 *Accedunt A et MHE*, 2,4 *HVIIanAn*, 2,7 *MAAnO*, 3,1 *HO*, 3,2 *AOH*, 3,5 *OIA*n; Ch. I. zusätzlich *Ephebus*. Als Anmerkungen gegebene Regieanweisungen wurden im Text gedruckt.

Prol.	evtl. <i>Anastasio effigies</i>	
1,3	<i>tris agio</i>	CAMENA
1,3	<i>estne</i> statt <i>est ne</i>	
1,3	<i>et Chalcedonensis</i> statt <i>et Chacedonensis</i>	CAMENA
1,4	<i>Anastasio</i> statt <i>Anastasio</i>	CAMENA
3,3	<i>periculorum</i> statt <i>periculorm</i>	CAMENA
3,4	<i>tandem feri</i> statt <i>tandem fieri</i> (cf. 3,6 <i>feriat, si vult ferire</i>)	

1,1, 1,5, 2,5, 2,7, 3,1, 3,4, 3,6 wurden ‘Anführungszeichen’ gesetzt. Unnötige ‘Kommata’ vor *et*, *atque* usw. wurden gestrichen, unpassende ‘Doppelpunkte’ ersetzt, ‘Gedankenstriche’ statt ‘Klammern’ und ‘...’ statt ‘.’ verwendet. Auf eine detaillierte Dokumentation aller Eingriffe in die Interpunktion sei hier jedoch verzichtet.